



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Inter diuinas personas non solum esse ordinem, sed vnam priorem
secundum rem origine, quam aliam, probabilior sententia docet. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

C A P V T I.

Quid sentiant Scholastici.

I.
Sensus du-
bi.

P Ræfens controuersia non est, an prædicata essentialia in Deo sint priora naturalibus; de his enim sapius dictum est, esse quidem priora consideratione nostra, sicut communia sunt priora particularibus, ut animal homine: illud enim prius est, quod sine alio intelligi potest: nec questio est, an aliqua persona saltem non relata ad aliam expresse, possit prius ratione cogitari à nobis, quam illade hoc enim dictum est disput. 159. præsertim cap. 5. Et S. Thom. plane fateatur q. 4. art. 4. posse quidem prius intelligi, cum tamen in hoc articulo dicat, ordinem esse inter personas sine prioritate; sed difficultas est de personis inuicem actu relatis, an inter eas sit ordo aliqui naturalis, & realis cum prioritate. Referam igitur in hoc capite Scholasticorum placita, in sequenti vero meam proferam sententiam.

Inter per-
sonas inui-
tam actu
relatas est
ordo natu-
re & rea-
lis.
Ordo quid
sit.

Omnes quidem Scholastici inter personas
nuncem actu relativi ordinem naturæ, & realem esse
fatentur. Nam, vt inquit *Durand. in 1. distict. 20. q. 1.*
quest. 2. Ordo est habitudo plurium ad vnum primum;
vnde condat *Bonauent. in 1. distict. 2. artic. 2. quest. 1. & 2.* Sed in diuinis personis, etiam mutuo
actu relatis, est realis habitudo ad vnum primum,
aut ad vnum principium, quia vna dicitur esse rea-
liter ab alijs; ergo inter illa est naturalis & realis
ordo. Cum vero August. definit ordinem hoc mo-
do; *Est partium disparum sua vicinicia tribuens loca dis-
positio*, solum explicat naturam ordinis secundum
locum, vt optime notauit *Bonauent. quest. 1. illa*
prima. An vero hic ordo sit cum aliquo genere
prioritatis, præsertim realis, variant Theologi.

Prima opi-
nio esse rea-
lem ordinē
seu secun-
dum natu-
ram s. e
prioritate.

S. Thom. in hoc artic. & Bonauent. locis citatis, præferim quæst. illa 1. & 2. in corpore & ad primum, concedunt quidem realem ordinem, quem vocat fecundum naturam, sed absque priori & posteriori. Quibus consentit Durand. loco allegato addens, hunc ordinem esse inter primum, secundum & tertium (ex eius namque definitione primum, & secundum in ordine negari nequit) non tamen esse hunc ordinem inter prius & posterius, Concedit itaque id, quod cæteri non negarent, scilicet primam, secundam, & tertiam personam; sed non priorem & posteriorem, eo quod in diuinis nihil sit prius & posterius, iuxta Athanasium in symbolo.

Secunda
opinio, esse
prioritatem
originis per
rationem
nostrā imo
ante intel-
lectum,

Scotus vero in 2. distinct. 1. quaest. 7. passim appellat patrem priorem origine, quam filium & vtrumque priorem Spiritu sancto. Et in 1. distinct. 10. q. 7. ad ultim. concedit prioritatem originis inter personas, & vnam sine alia intelligi posse prius originis. Sed in his locis loquitur de priori secundum intellectum & nostrum ratione originis, quia ea persona, à qua alia procedit, concipi potest & antequam procedens, non contra. Nunc autem non est quaestio de priori & posteriori consideratione nostra, etiam ratione originis; sed de priori & posteriori secundum rem inter personas, etiam actu relatas. Consideratio namque nostra solum concipit vnam personam prius alia, postquam intelligit eam relata: nam relata non potest prius concipere vnam, quam aliam, vt cap. sequenti videbimus.

Scotus.

Cæterum idem Scotus in 1. distinct. 28. quæst. 3. §.

ARTIC. III.

Ad quaestionem istam, Et quodlib. 4. art. 1. Et c. contrarie
arguitur, affirmat, Patrem & Filium, etiam vt mu-
tuo actus referuntur, habere in se ordinem prioris
& posterioris secundum originem. Quod genus
prioris & posterioris inquit esse reale, non ratio-
ne, neque natura, eo quod relata simul natura
sint & intellectu. De intellectu facit manifestum
esse, de natura patet, ex *Aristotele*, 6. *Metaphys.* textu 16.
cap. 1. vbi ait, illud est prius natura, quod potest
esse sine posteriori, vt in creatis causa prius est ef-
fectu. Probat autem, inter relata posse esse prius
secundum rem, etiam non sit prius natura, nec
intellectu. Primum quia *Aristoteles* 6. *Metaphys.* cap. 7. *Primo*
textu 15. inquit perfectiora esse priora atque ita
genus quoddam prioris constituit secundum per-
fectionem & vnum relatum potest esse perfectius
alio, etiam in ratione relati: ergo & prius. Hoc mu-
tuo contingere potest solum in relatis, quae sunt
diuersae rationis, quales sunt in diuinitate Pater &
Filius, quae & Logicis dicuntur relata diuersi comparati-
uae. Haec tamen ratio non probat, inter diuinas
personas posse esse hoc genus prioris, quia vna
non potest dici alia perfectior, etiam vt relata.
Probat tamen, non repugnare inter relatum in
vniuerum aliquid esse prius & posterius re ipsa.
Quare non mirum, si in diuinitate etiam, alia ratione
prius & posterius assequatur.

Deinde idem confirmas, quia, ut ipse, si simul
tas, quæ opponitur vni priori, potest esse cum
alia, cui non opponitur; et, etiam autem simul intelle-
ctu & natura non opponitur priori secundæ ori-
ginem, ergo potest vna persona esse simul intel-
lectu & natura cum alia & prior origine, quoniam
Sententia Scoti placet *Cartesii* in hoc articulo, *Cartesius*
tamen si dicat eam esse contra S. Thomam aut fal-
tem nomine solo ab ipso differre. *Cartesius* autem
quæ fatetur, *Scotum* re ipsam S. Thomæ con-
uenire: sed sententiam, inquit, teneat, inquam
vero cohibeat, quia, dum concedit prius & pos-
terior in diuinis secundum rem, videtur allicere
vnam esse alia antiquiorem.

CAPVT II.

*Inter diuinas personas non solum esse ordinem, sed etiam
priorem secundum rem origine quam aliam,
probabilior sententia docet.*

Quamquam præfens controverfionem reman-
 ed vocum eft, & modus loquendi, quæ S.
 Thomas, & alij fecerunt, probabiliter magis
 non caret; tamen modus loquendi, & fententia
 Scoti confirmanda & probanda in hoc capite mihi
 videtur, quatenus affert, inter diuinas perfona-
 nas vnam effe fecundum rem priorem originis,
 quam aliam, quam ex ratione prioris & pollerioris
 & modo loquendi fæctorum Patrum videtur
 mihi colligere.

Ex Partibus quibus Epiphanius, quem
Sanctus Thomas in Opusculo contra errores Graeco-
rum cap. 2. Et Gregorius Nazianzenus quem allegat cap. 9. et
Spiritus sanctus, filium esse medium inter Patrem et Spiritum
sanctum facimus; quem modum loquentem ferunt
Basilii lib. 3. contra Eusebium in principio, ubi concen-
tum, primam, secundam et tertiam persequemur in
Trinitate digitare et origine: atque ex ipso
sumpsit Ioannes Theologus in Concilio Florentino, et
post medium. Sed dicit aliquis. Durandum non
negare primam, et secundam et tertiam in di-
versis personis secundum ordinem naturalem et tem-
poralem.

lem; sed prius & posterius secundum eundem ordinem. Verum nos inde facili ratione statim colligemus, esse prius & posterius; obseruandum tamen interim est, cum Basilium vocat Patrem primum dignitate, non ideo sic eum appellare, quia perfectior sit & maioris dignitatis, sed quia habeat auctoritatem primi principij.

Clarius tamen idem Basilium nostram adstruit sententiam, lib. 1. contra Eunomium longe à fine, ubi de ordine originis inter causam, & id, quod est à causa, sic ait. Nam in his priorum esse causam dicimus, posterius vero, quod ab ipsa est, non intervallo hac inuicem dissepantes, sed cogitatione, prius quam causatum causam intelligentes. Quoniam igitur pacto rationem habet, ordinem in se negare, in quibus est prius & posterius non positione nostra, sed naturali quadam consequutione? Et post multa explicat illud Ioan. 10. Pater maior me est, de priori secundum originem, ut ille maior dicatur, quia prior, quatenus causa est, ut G. æci loquuntur: sic enim nonnulli Patres, etiam Latini, nomine maioris & minoris intelligunt in diuinis priorem & posteriorem secundum ordinem, quos regulimus disput. 12. cap. 5. Affirmat igitur Basilium inter diuinas personas esse prius & posterius non positione nostra, sed naturali consequutione: quod penitus est, atque naturali & reali ordine: si enim esset solum ordo rationis, esset quidem positione nostra. Nec obstat, quod paulo ante dixit; Sed cogitatione, prius quam causatum causam intelligentes, hoc enim solum dixit, ut ostenderet, causam & causatum non dissepantur intervallo aliquo durationis, sed cogitatione nostra: hoc autem non obest, quo minus sit etiam prius non sola cogitatione, sed etiam ordine naturali & reali.

Hoc eodem modo intelligendus est Nazianzenus in oratione de dogma. & constitutione Episcoporum, quæ est 29. cum nu. 13. sic ait; Ita patris essentia concurret cum vniuersi generatione, qui ex ipso quidem est, ceterum non post ipsum, aut saltem sola principij cogitatione. Non enim sentit, sola consideratione nostra filium esse post Patrem, sed sola consideratione principij, hoc est, non posterius duratione, de qua ibi multa ante loquutus fuerat, sed ratione principij, ea scilicet quæ id, quod est à principio, dicitur posterius ipso principio. Author quoque libri de triplici habitaculo apud August. c. 6. circa fin. libri inquit, Pater non præcessit filium tempore, sed origine. Quare cum ipse August. lib. 3. aduersus Maxim. c. 1. ita scribit, Non enim genitorum ab eo, quem genuit, sed genitum à genitorum remitti oportebat: verum hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ, non quo alter esset prior altero, sed quo alter esset ab alio. Et Athanasius in Symbolum cum dicit, in hac Trinitate nihil prius aut posterius, de priori & posteriori secundum durationem plane loquuntur. Hæc namque communiter significantur, cum absolute dicitur prius & posterius: at vero cum addimus, secundum originem, vel secundum naturalem ordinem & consequutionem, ut dicit Basilium non est necesse intelligere hanc durationis prioritatem.

Ratione vero sic probo hanc sententiam; Nam in Trinitate negari nequit prima, secunda & tertia persona, non solum numerante nostro intellectu, sed ex natura rei secundum ordinem realem. Prima namque ita est Pater & secunda filius, & tertius Spiritus sanctus, ut aliter esse non possit; si autem solo numero intellectus, esset prima, secunda & tertia, posset dici prima Spiritus sanctus, se-

cunda Pater, & tertia Filius, qui enim numerat, ita ab hac unitate, sicut ab illa potest incipere; & in hanc, sicut in illa desinere. Hunc vero ordinem primæ, secundæ, & tertiæ, præter dicta sanctorum allegata, definitio ipsa ordinis demonstrat. Est enim ordo, habitudo plurium ad vnum primum, ut ait Durand. vel ad vnum principium, ut dixit S. Thom. idem autem videntur esse vnum principium, & vnum primum; omne namque principium in ordine aliquo primum est, à quo reliqua; sed in diuinis est ordo realis & naturalis, ut omnes fateantur Scholastici, & Ioannes ille Theologus supra commemorat: ergo ex natura rei est prima, secunda, & tertia persona; si enim esset prima, secunda, & tertia solum per intellectum numerantem, non esset ordo inter eas secundum naturam, sed intellectum nostrum.

Adde, quod nullus hæcenus negauit, in Trinitate primam, secundam & tertiam personam: quinimo vulgo sic loquimur: primam autem semper dicimus patrem, secundam filium, tertiam Spiritum sanctum, & non aliter: si autem primum, secundum & tertium inter personas solum esset secundum numerum, non magis esset hæc prima, quam illa, ut proxime dicebamus; sed in omni ordine omne primum est prius secundo, & secundum posterius primo, & sic de reliquis: ergo in ordine reali Trinitatis prima persona erit prior, quam secunda, & secunda erit posterior secundum rem; omne enim primum in suo ordine prius est, quam secundum.

Ceterum, ut melius intelligatur hoc genus prioris & posterioris, primum renouanda in memoriam est doctrina Aristot. 5. Metaph. c. 11. ubi plures modos prioris assignat; primus est secundum loci propinquitatem, secundus est secundum tempus, tertius secundum motum, iuxta quem ea priora dicuntur, quæ propinquiora sunt mouenti, ut puer viros; quartus secundum potentiam, id enim quod alijs antecellit potentia & fortius est, prius dicitur reliquis; quintus secundum ordinem loci. Ex quibus nullum inter diuinas personas repetiri manifestum est. Nam si aliquis, maxime tertius ille modus; patri enim quasi mouenti propinquior videtur filius, quam Spiritus sanctus quia prior ab eo exit, qui videtur modus prioris secundum originem: sed quia Aristot. videtur intellexisse propinquior secundum durationem principio mouenti, ideo hic modus prioris non quadrat diuinis personis, nisi ablata illa imperfectione propinquitatis secundum durationem: Nam si solum propinquitatem originis consideretur, filius propinquior videtur patri, qui ab eo prius origine emanat, quæ Spiritus sanctus, qui natura originis suæ supponit filium iam productum, ut ab utroque procedat; sextus modus prioris est secundum rationem, & hæc sunt vniuersalia, & singularia secundum sensum, & quæ secundum suam naturam esse possunt sine alijs.

Ex quibus ea, quæ realiter distinguuntur, meo iudicio, non solum dicenda sunt habere ordinem prioris & posterioris secundum rationem; verum etiam secundum rem & naturam, ut est causa & effectus: Nam quæ sola ratione differunt, non possunt habere ordinem nisi rationis, sicut pluralitas animal & homo: nam animal prius est homine, quia sine illo esse potest; & in vniuersum id, à quo

non valet reciprocaconis consequentia, ut nota-
vit idem Aristot. in *prædicam. cap. de modis prioris*. Hic
autem ordo & modus prioris secundum rationem
assignatur inter communia prædicata in diuinis,
scilicet essentialia & personalia: inter personas autem
relatas non potest esse, quia relata sunt simul co-
gnitione; superest igitur, ut alio modo, quem Ar-
istot. non nouit, neque numerant; prius & po-
sterius inter personas relatas assignari debeat,
nempe secundum originem, qui potest esse inter
ea, quæ sunt simul natura & cognitione: tamen si
non omnia relata sint simul natura. Potest autem
hic ordo reduci ad quintum quem ex Aristot. nu-
merauimus, scilicet tamen imperfectionibus, ut
explicatum est; ut prior origine, etiam sub con-
ceptu relatiuo, dicatur, à quo est alius; poste-
rior autem, qui ab alio est. Atque ex his soluuntur
quæcumque argumenta, quæ in contrarium
afferri possunt.

Non licet
absolute di-
cere unam
personam
alia prio-
rem, sed
addi debet,
secundum
originem.

Deinde notandum est, etiam si ordo inter per-
sonas sit prioris & posterioris secundum rem, ut
explicatum est; non tamen licet absolute appella-
re unam personam priorem secundum rem, quam
aliam, nisi cum additamento, *Secundum originem*.
Nam cum non addimus, *Secundum originem*, sed ab-
solute dicitur una persona prior secundum rem,
quam alia, videtur significare prius aliquod du-
ratione, quod in diuinis personas conuenire ne-
quit: cum illo vero additamento illud non signifi-
camus. Et sane cum illo additamento non nega-
ret S. Thom. hunc modum loquendi.

DISPUTATIO CLXVIII.

An origines oppositæ, & distinctæ secun-
dum rem habeant inter se ordinem
prioris, & posterioris.

Opiniones Bonauentura & Durandi c. 1.

Non minus per se esse realem ordinem prioris, & postero-
ris inter origines, quam inter personas, verior sen-
tentia est c. 2.

CAPVT I.

Opiniones Bonauentura & Durandi.

Nulla de originibus videbatur superesse diffi-
cultas: nam ex dictis de ordine personarum
facile poterat iudicari, quid de ordine originum
dicendum esset. Verum, quia nonnulli varie sen-
tentia peculiaris disputatio instituenda fuit.

Bonauent. igitur in *1. d. 12. q. 4. docet*, processionem
verbi priorem esse secundum intellectum proces-
sione Spiritus sancti. Ex quo etiam concedere de-
bet, unam esse priorem alia secundum intellectum.
Vbi enim est ordo, ibi est prius & posterius, ut
præced. disput. c. 2. dicebamus: negat autem q. 2.
unam originem esse secundum naturam priorem
altera; an vero sit ordo, secundum naturam non
definit. Fortassis etiam hunc ordinem concederet
sine priori & posteriori, sicut inter personas con-
cessit disput. præced. c. 1.

Durandus vero in *1. distinct. 12. q. 1. Meminit* huius
opinionis Bonauent. qua ponit ordinem inter
origines, & hac ratione eam confirmat: Spiritus
sanctus per se procedit à filio: ergo processio per
se supponit generationem filij, à quo ipse proce-
dit; ac proinde processio per se supponit genera-
tionem. Sed statim eam improbat hoc modo. *Aris-
tot. 1. poster. cap. 4. docet*, idem esse per se, & secun-

Prima opi-
nio, origi-
nam verbi
esse ratione
priorem ori-
gine Spiritus
sancti.

Secunda o-
pinio, esse
qualem or-
dinem secun-
dum rem, sed
solum per
accidentem.
Aristot.

dum quod ipsum: sed spirare non conuenit filio
secundum quod filius est; ergo spirare non con-
uenit per se genito, ac proinde processio Spiritus
sancti non supponit per se generationem. Quæ-
ritur, si illius quæstionis ipse aliter, inter genera-
tionem, & processionem esse quidem ordinem
originis naturalem, hoc est, secundum rem, sicut
inter personas: illum tamen non esse per se, sed
per accidens. Pro cuius explicatione notandum
est primum, nullam actionem pendere ab alia
actione, aut habere ordinem per se cum illa, nisi
quia terminus præcedens est per se principium
subsequentis; bifariam vero actio præcedens po-
test comparari cum subsequente: vno modo ita,
ut producat terminum, qui est per se principium
subsequentis: sicut prior calefactio producit ca-
lorem, qui est per se principium sequentis cale-
factionis; altero modo ita, ut actio præcedens pro-
ducat terminum, qui est per accidens coniunctus
principio actionis sequentis, sicut frigefactio &
disgregatio visus se habent; nam frigefactio per se
tendit ad frigus, quod per accidens coniungitur
albedini, quæ disgregat visum. Deinde nota,
actionem præcedentem manere coniunctam ter-
mino, quoties terminus pendet ab agente, ut fiat,
& conseruetur.

Ex his duabus notationibus colligit Durand.
hanc rationem, quoties actio præcedens producit
terminum, qui secundum quod talis est, & quæ
per se est principium sequentis, duæ illæ actiones
habent per se ordinem, qualis inter actiones esse
potest; neque enim una actio habet ordinem cum
alia, sicut neque una ab alia pendet, nisi ratione
termini producti: cum vero actio præcedens so-
lum producat terminum, qui per accidens con-
iungitur principio sequentis, & actio præcedens
non manet cum sequenti, duplici ratione inter se
habent ordinem per accidens, & quia terminus
est per accidens coniunctus principio, & quia
actio præcedens non manet. Nunc autem in di-
uinitis una tantum ratione habent ordinem per
accidens origines inter se, quia prima producit ter-
minum, cui accidit esse principium sequentis, quia
filio secundum quod filius est, non conuenit spi-
rare, cum tamen, secundum quod filius est, sit ter-
minus generationis.

CAPVT II.

Non minus per se esse realem ordinem prioris & postero-
ris inter origines, quam inter personas,
verior sententia est.

Opposita sententia amplectenda est, quæ al-
firmat, inter origines passivus esse realem
ordinem prioris & posterioris, non minus per se,
quam inter personas: ratio enim Durandi frivo-
la est, ut statim patebit. Hanc sententiam expre-
ssit Scholasticus, sed meo iudicio, ut
se non tradunt Scholastici, sed meo iudicio, ut
notam supponunt; non quidem quod attinet ad
rationem prioris & posterioris; de hoc enim ex-
dem esset controuersia de originibus, quæ fuit de
personis; sed quod spectat ad ordinem naturalem
& realem per se. De priori & posteriori nunc
hil dicendum est, sed eodem modo probatur
hæc sententia, sicut disputatione præcedenti
probata est illa de personis: de ordine vero ipso
per se, id quod diximus, facile confirmari potest
hoc modo.

Ordo per se inter duas actiones bifariam comparatur.